

Comitatus, Hungariae adiecerat, eo fini contulit, vt in officio contineret gentem, siue bello partam, siue dedititiam. Theodori posteritate extincta, regno accessit Ducatus ille, sub variis possessoribus varie iactatus. XVIto Saeculo in Rakocziorum potestatem venit, ipso Caesare et rege Hungariae conferente, sed sine Ducatus titulo. Eo tamen Franciscus II. Rakoczyus, cum se Ducem nuperi belli ciuilibis gessisset, fastuose vsurpauit, seque in belli clarigatione, et chartis aliis, quarum authentica nonnulla sunt in manibus nostris, Ducem Munkatsii et Makonitzae, (Dynastia est, hodie Comitum Szirmay, in Sárosiensi Comitatu, cum arce in montibus Hungariam a Polonia disterminantibus,) nominare sustinuit. Sed is Ducatus, posteaquam Principi et Episcopo Herbipolitano, e Comitibus Schönborniis, Imp. Carolus VI. rex Hung. Munkatsium donasset, antiquatus est.

De *Ducibus temporariis* parum habeo dicere. Ducem *de Limpach*, Matthiae Coruini regis et Friderici III. Imper. temporibus, reperio. Eius nullam video originem aliam, quam quod *Bánffy de Lindua*, Primores transdanubianae Hungariae, Friderici partibus aduersus Coruinum adhaeserint. Inter primos fuit Paullus Bánffy, dein alii quoque. Vide *Bonfinium* III. 10. Hos, vt confirmaret in fide Fridericus, Ducum titulo honestauit; quemadmodum Matthiam, constat, Nicolaum Ducem ab Vjlak, vt a partibus Friderici auelleret, regem Bosnae esse iussisse. Caeterum, illud Limpach Germanorum, Hungarorum Lindua est: Ducum tamen istorum, etsi in Friderici Imp. diplomatibus passim, in publicis actibus Hungarorum nulla fit mentio. — Haec de Ducibus Hungariae in vniuersum; iam ad Almus Ducem redeo.

Almus, et nomine et dignitate Ducis ornatus a fratre, primis annis ita concorditer cum hoc vixit, vt, scribente *Ranzano* Epit. Indic. XII. summus inter ipsos rerum omnium consensus esset. Et patet hoc ex eo, quod *Lucius*, qui Gaufridum Monachum testem laudat, adnotauit, Colomanum a. 1097. in nuptiis
cum